

loquitur, arbitrio fertur, quocumque voluerit si incuam manifeste adversus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant et avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, et seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor, ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. » Sic Bern. Idem de audientibus sed non retinentibus verbum Dei asserit S. Gregorius, hom. XV. in evang. *Cibus mentis est sermo Dei, inquit, et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur, sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur.* Sic ille. Ratio, quia magis periculosa est animae subtractio verbi Dei, quam corpori subtractio et defectus ciborum corporalium, ut patet ex Amos VIII. *Mittam famem in terram (ait Dominus) non famem panis, sed audiendi verbum Domini.* At de pane corporali dixit Dominus, Marc. VIII. *Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficiet in via.* Multo ergo magis deficient in via, qui jejunant a verbo Dei. Deinde, hi ostendunt, se non desiderare aut querere caelum; quia sicut qui nihil desiderat scire de terra sancta et Jerosolymis, eo ipso ostendit se non cogitare illuc aliquando proficisci; ita qui non curat audire sermones de caelo et itinere caelesti, ostendit se eo non tendere. Unde Joann. III. ait Baptista: *Amicus sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ergo qui non gaudet ad vocem sponsi, amicus ejus non est.

IV. Ut oves crebro et multum balant, ita raras edunt voces hœdi. Similiter qui exosum habent orandi studium et a se ablegant, (tametsi forte in solemnitatibus aliquid ejaculantur precationum, et unam alteramve vocem edunt) de hœdorum numero videntur esse. Quemadmodum enim artifex, quando vendit instrumenta suae artis vel alia ratione perdit, se et familiam sustentare nequit, sed cogitur mendicare vel fame interire: ita qui seponit orandi studium, brevi ad eam rediget inopiam, ut nec ipse vitam animae suae sustentare, nec aliis vitam spiritualem suppeditare queat; siquidem oratio est commune et generale instrumentum hominis christiani ad omne opus bonum recte exercendum necessarium. Quando lupus ovem tenet apprehensam faucibus, absque dubio eam perimet, quia non habet oves, quo auxilium invocet. Ita tenuit latronem malum, qui si vel unum memento ad Christum effudisset, nequaquam perisset. Bonus autem cum cæteroqui ligatus, sola vero lingua liber Christum oravit, eum auxiliatorem habuit. O infelix latro! Si modo aperuisses os et optimum orasses Domi-

num, quam libenter tibi ignovisset? Sed tentus fuit in faucibus a tartareo illo lupo.

V. Hœdorum seu caprorum pili omnes pendunt deorsum, nulli eriguntur sursum: quod nequaquam cernitur in ovibus. Ita illi, quorum cogitationes et desideria ad sæcularia propendunt, ad caelestia non eriguntur, ostendunt se pertinere ad hircos. Audiatur S. Greg. mor. I. VIII. c. XLI. « Electorum animae, inquit, ad caelestia eriguntur, reproborum vero ad terrena; ut quod ferrum mox ad magnetem advolat, cognationem quamdam alterius cum altero significat; et quod naphtha bituminis quoddam genus, citissime ad visum ignem inflammatur, signum est igneae cujusdam in ipso naturae; sic caelestis cujusdam originis et juris in civitate Dei et beatorum habendi quoddam indicium est, sæpe caelum suspirare, et dicere illud Psalmi: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, etc.* » Confirmatur hoc signum ex illa Domini sententia: *Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Si excindenda sit aliqua arbor, quam in partem eam putas casuram? Nonne in eam, in quam arbor ejusque rami pene omnes inclinantur? Similiter ergo si cor tuum et cogitationes cordis tui propendeant ad sinistram, sæcularium bonorum, ad sinistram cades; sin vero ad dextram, supernorum bonorum, illuc cades. Unde Sapiens, Prover. II. *Inclinata est, inquit, ad mortem domus ejus, et ad inferos semita ipsius.* Quisquis ergo hic tenebras et opera tenebrarum amat, et ambulat in tenebris interioribus, quorsum deveniet, nisi ad tenebras exteriores? Intuere duas istas arbores, paulo ante commemoratas, latronem dextrum et sinistram, et videbis dextrum propendisse ad caelum, beatitudinem desiderando: *Memento mei dum veneris in regnum tuum: sinistram vero ad terram, vitam et libertatem desiderando: Salva temetipsum et nos.* Quid mirum ergo, si ad superos ille, hic vero ad inferos ceciderit? Ex quo etiam colligitur eos, qui segnes sunt in exercitiis divinis et piis, studiosi vero et expectati in negotiis sæculi peragendis, ad reprobos pertinere, quorum *pedes ad malum currunt* (Prov. I.) *et veloces sunt ad effundendum sanguinem.* (Ps. XIII.)

VI. Hirci tametsi apparent macilentis, multæ tamen sunt pinguedinis occultæ, ut inde quandoque moriantur; sic qui nimia prosperitate gaudent, bonis et deliciis perfruuntur, nec aliquando a Deo per tribulationes et flagella emaciantur seu castigantur: his magnopere timendum est, ne de hircorum numero sint. Qui sint filii hujus sæculi seu *filii alieni*, ut vocat David, describit ipse Ps. CXLIII. *Quorum filii*

sicut novellæ plantationes in juventute sua, (dum videlicet virent, ac florent forma et vestitu) *filiae eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi, id est, splendide et ornata: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, id est, cum veteribus frugibus superveniunt novæ: oves eorum fætosa, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ: non est ruina maceræ, neque transitus neque clamor in plateis eorum, q. d. nullum unquam accipiunt damnum, vel in rebus etiam minimis, nullam patiuntur molestiam, omnia ipsorum salva, omnia pacata sunt. Subdit denique: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, sed hanc vulgi opinionem rejicit et explodit, cum subjicit: *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Fuit quidem multorum sanctorum magna etiam prosperitas in rebus temporalibus; sed non sine flagellis, tamen et tribulationibus: non omnia habuerunt salva et pacata. Deinde, bonatemporalia, eorumque sive possessionem sine jacturam non magni aestimarunt. Non moratur in illis ædibus Deus, ubi nullæ divertunt adversitates, ut patet ex D. Ambrosii dicto et experientia circa hospitem quemdam, apud Paulinum in vita. Desumitur hoc signum ex verbis Abraham ad Lazarum, Luc. XVI. *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Unde S. Chrys. hom. III. de Lazaro, ait: *Ubi videris improbam vitam agentem, nec quidquam acerbi hic patientem, ne putaveris illum beatum; sed desiste potius ac deplora velut illic omnia tristia perpessurum, quemadmodum dives fecit.* Et D. Greg. hom. XL. in evang. super eandem sententiam ait: « *Ista fratres mei sententia pavore potius indiget quam expositione. Nam si qui estis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis; ipsum ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis, ne vobis per quorundam vestrorum actuum recompensationem sit datum, ne Judex qui hic bona exteriora restituit, a retributione boni intimi repellat.* » Sic ille. Confirmatur idem ex apostolo ad Hebr. XII. *Quod si extra disciplinam, inquit, facti estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis.* Super quo D. Aug. sic infert: *Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum.* Unde D. Petrus Chrysologus, in ep. IV. sumpta metaphora ab ædificatione templi Hierosolymitani, ait: « *In ædificatione temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiret, et ne in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis, aut trituran-tium pedibus sit excussum: sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa caelesti Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, variis infortuniorum***

concussionibus poliuntur, priusquam in ædificio caelestis habitaculi collocentur. » Sic ille. Unde Ecclesia canit: *Tunsonibus, pressuris ex-politi lapides, etc.* non decet ut in caelo primum tundantur, et poliantur lapides, adeoque excitetur ibi tumultus flagellorum, ciliciorum et similium tunsonum; sed hic, extra templum fieri hoc debet, ut lapides sanctuarii statim ibi ad ædificium reponi queant.

VII. Hœdi durissima habent cornua, et proni sunt ad pugnandum et arietandum. Sic qui odium et inimicitias in corde gerunt et cornua, id est, vindictæ appetitum non deponunt, hirci comprobantur. De talibus enim ait Ezechiel, c. XXXII. *Descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, q. d. descenderunt cum appetitu vindictæ et iracundia sua ad inferos quia semper meditantur vindictam, nec interim poterant quiescere: cujusmodi cervicali utuntur omnes, qui ab offensione tantum quietem sibi quærunt. Sic Aman requiem non habebat, quamdiu videbat Mardocheum sedentem ante fores regias, Esth. V. Sed hoc ipsum odium ei suspendii causa fuit. Similiter de Esau ait apostolus ad Hebr. XII. *Reprobatus est, non enim invenit penitentiae locum, quamquam cum lacrymis requisisset eam.* Quia videlicet: *Semper oderat Jacob, pro benedictione qua benedixerat ei pater, ut dicitur Gen. XXVII. Eandem ob causam Saul et Antiochus misericordiam non invenerunt, quia ira et odio semper æstuabant. Sic Pharaon ejusque currus et equites descenderunt in profundum quasi lapis, quia ultionem quærebant. Unde merito Ecclesiasticus, c. XXVIII. dixit: *Qui vindicari vult a Domino inveniet vindictam.* Similiter Jacobus, c. II. *Judicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.***

Ergo auditores, quando ex Scriptura sacra et ss. patribus deprehendimus non vana hœdorum, seu reproborum indicia, intueatur unusquisque semetipsum ac videat, num hœdi speciem præ se ferat. Ac siquidem hoc deprehendat, quamprimum mutare pellem, et ovem induere satagat, nisi cum foetentibus hircis velit in die illa rejici ad sinistram Judicis et æternum reprobari.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA EVANGELICA.

- I. Pastor gregi necessarius. — II. Pastores adsint gregi. — III. Christiani omnes oves. — IV. Deus timendus. — V. Nemo turbetur ob salutis incertitudinem. — VI. Unum ovile, seu Ecclesia Christi. — VII. Unus Ecclesie pastor supremus.

THEMA.

Vocem meam audiunt. Joann. X.

Hodiernum evangelium vehementer urget nos, ut Christum pastorem nostrum diligamus, et sequamur. De nobis enim locutus est suavissima illa verba: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient.* Ecce nos oves vocat, quando adhuc eramus hirei sub diabolo pastore; quia nimirum ipsius gratia oves aliquando futuri eramus. Ad hæc: *Oportet, inquit, eas me adducere.* Ecce quantum amavit nos! Vult nos querere et adducere: idque, *oportet, inquit, quia nimirum amor ad hoc ursit illum, qui nullus eget.* Sed et: *Vocem meam audient, inquit.* Quare si fidem fallere Christo nolumus, audiamus vocem ejus.

I. Discimus, pastorem gregis sui communitati esse necessarium; siquidem eo absente aut fugiente: *Lupus rapit, et dispergit oves, ait Dominus.* Oves pastore destitutæ, facile pereunt, nec enim se tueri, nec domum redire sciunt: et quo una præcedit, etiam in periculosum locum, eo sequuntur aliæ; imo nec pascua invenire possunt. Ita populus duce carens, potentiorum injuriis obnoxius est, et facile seducitur, atque in seditiones dividitur, et agit unusquisque quod vult, uti Judic. XVII. dicitur: *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Tum vero rectum videtur, quod est distortissimum: quod cujusvis cæcæ libidini placet, in bonum judicatur. Hinc precatur Moyses moriturus Deum, ut provideat populo de duce sibi successuro: *Ne sit populus Domini, inquit, sicut oves sine pastore,* Num. XXVII. Idemque omnis populus sedulo precari deberet, quia sicut navis gubernatore, exercitus duce carens, diu stare nequit, ita populus sine rectore.

II. Discunt rectores adesse gregi suo et nosse vultum eorum, juxta id: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas.* Sic Prov. XVII. dicitur: *Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Arist. I. 1. œcon. refert duo apophthegmata huic rei accommodata, alterum Persæ cujusdam, qui interrogatus, quid maxime saginaret equum: *Oculus domini,* respondit: alterum Afri, qui rogatus, quod stercus esset optimum: *Domini vestigia,* inquit; hoc est, domini per agrum inambulatio. Viderit vero rector qui sua absentia committendo aliis omnia, damna dat reip. Deo enim rationem reddet. Exemplo est Mieceslaus Poloniæ rex, qui cum regime nauicis suis totum committeret, illique dominarentur, reprehensus est a Gedeone episcopo Cracoviensi, sed frustra. Itaque episcopus mu-

lierem subornavit, quæ sordido habitu et miserabili voce principis justitiam imploraret. Jussa illa dicere, ait gregem ovium se filio commendasse, illum porro mercenariis commisisse, quorum negligentia factum, ut grex a lupis dilaniatus sit, rogare itaque se ut ad restitutionem amissi gregis reus condemnaretur. Citantur mercenarii, qui pariter subornati adsunt, et culpam in filium mulieris conjiciunt, filius vicissim in ipsos. Itaque Mieceslaus filium condemnat damni dati. Approbata ab omnibus hæc sententia, surgens Gedeon ait: « Recte judicasti: mulier in illa patria tua est, quam tu mercenariis commendasti, et ita lupis devorandum gregem, dum tu venaris, prodis; siquidem crudeles exactores sanguine innocentum tuorum saginas, qui perinde ac a lupis impune diripiuntur. Hæc damna omnia a te resarcienda sunt, quemadmodum tu judicasti, canes coercendi, lupi persequendi. » Confusus hac oratione rex a senatu se proripuit, et in majorem Poloniam se recepit. Proceres eum principatu deponunt, Zigler, de viris illustr. Germ. c. LXV.

III. Discimus omnes nos oves esse. Si enim Christus pastor noster, ergo nos oves ejus. Ita Joan. XXI. dixit Petro: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Supra jam audivimus Basilium Macedonem, Græcorum imperatorem in Concilio octavo œcumenico, ad populum perorantem: *Quantacumque religionis et sapientiæ nota laicus existat, ovis vocari non desinet. Rursum quantumcumque episcopus sit irreverentia plenus, et nudus omni virtute, donec antistes est, et veritatis verbum recte prædicaverit, pastoris nominationis, et dignitatis damna non patitur,* Baron. anno 869. Porro tria de ovibus commemorat Dominus. Primum, *cognoscunt me meæ.* Agnus licet inter tota ovilia oberret, e mille matribus balantibus agnoscat matrem suam, eamque suo balatu ad respondendum simili balatu excitat, ut sic matrem invenire queat, hocque nisi haberet, fame interire deberet, quia non admittitur ad ubera ab alienis. Fallitur sæpe pastor in discretionem tam ovium, quam agnorum. sed nec falluntur matres nec agni. Sic ergo agnoscere debemus Christum, tamquam patrem et pastorem nostrum, ad eumque in angustiis recurrere, et clamoribus nostris eum magna fiducia excitare, velut certi de ejus responsione et ope. Multis agriculis meliores sumus nos, cur ergo non invocamus? Cur de ipsius succursu dubitamus? Oves ergo Christi, non sunt, qui ipsi diffidunt; non enim eum cognoscunt, nesciunt esse patrem suum. Norunt oves Christi, ipsum pro se passum et mortuum: unde certo sciunt sibi ad eo præstanda, quæ sunt utiliora. Neque Christum tantum, sed et pastorem suum Christo subordi-

natum cognoscere oves debent; quod fit frequentando templum et sacramenta. Norunt etiam oves canem sui pastoris, unde non timent illum, alios vero canes timent; quia canem pastoris non habent pro hoste: ita subditinosse debent castigationes, et reprehensiones Dei et superiorum suorum, tamquam sibi utiles et nequaquam noxias.

Secundum, *vocem pastoris audiunt, et sequuntur eum.* Ovis enim ad tenuem pastoris sui sibilum, revocatur ad gregem, vel levi fundæ jactu et susurro. Non ita tauri, equi, capræ, et bubali, qui stimulis coerceri debent. Ad hæc sequuntur oves pastorem præeuntem, cum aliæ pecudes a pastore sequente agi debeant. Ita ergo fideles promptè obedire, et sequi pastorem suum debent: non disputare, non querere diverticula, non expectare stimulos. Molestæ sunt pastori pecudes, quæ non nisi verberibus coerceri possunt: ita pastori spirituali subditi ignavi. Quod si brutæ oves ita parent homini, quanto promptius parere debet homo homini, quem novit sibi a Deo propositum, ipsumque præsentare?

Tertium, *alienum non sequuntur, sed fugiunt:* imprimis verum lupum naturali horrore etiam post mortem durante, siquidem fides ovillæ, juxta lupinas extensæ cum percutiuntur, non sonant, Pier. I. X. hierogl. Ita fideles fugere debent hæreticos et diabolum imprimis, et qui illiterati sunt, quando sonat fides hæretica, taceant, nec cum hæreticis disputent, laici præsertim, quibus id expresse inhihetur, c. Quicumque de hæreticis, in VI. Ubi Alexander papa sic statuit: « Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » Sic docuit facere S. Joannes, ep. II. c. II. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, inquit, nolite recipere eum in domum, nec ei Ave dixeritis.* Sic S. Antonius moribundus: *Scitis, ait ad suos fratres, quia nunquam illis molliter aut pacifice locutus sum; itaque venena illorum et colloquia prorsus vitate, Viderint ergo num oves Christi sint, qui conciones hæreticorum audiunt. Qui ad hoc Jeremias, c. V. Stupor, inquit, et mirabilia facta sunt in terra. Propheta prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia; quid igitur fiet in novissimo ejus?*

IV. Discimus Deum timere: siquidem ipse ait: *Ego cognosco oves meas:* et paulo ante: *Proprias oves vocat nominatim et educit eas.* Ergo nominatim, id est, exactissime novit oves suas, non tantum numerum, sed conditionem, statum, qualitatem, animum, intentionem, gressus, etc. Hoc est, quod ad Hebr. IV. confirmat apostolus cum ait:

Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. Aperta, inquam, id est, excoriata vel exenterata, uti verbum Græcum significat, q. d. sicut in ovibus excoriatis et dissectis ipsa intestina patescunt, ita corda nostra Christo. Possunt ergo oves decipere quidem pastores suos, sed non item principem pastorum, Christum. Viderint proinde ut in confessione conscientias suas fideliter aperiant confessariis suis: ne alioquin cum detrahetur illis cutis in morte, inveniantur sub ovina pelle lupinam gessisse: et cum ibidem exenterabuntur ab eo, qui scrutatur renes et corda, inveniantur intus reprobi.

V. Discimus non perturbari ob incertitudinem salutis nostræ; quia Christus cognoscit oves suas, nec ulli faciet injuriam; non reprobabit eam, quæ audierit vocem ejus. Et ut apostolus, II. ad Tim. II. ait: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* « Novit Dominus, inquit S. August. tract. XII. in Joann. qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: novit in area sua triticum, novit paleam, novit segetem, novit zizania. » Hæc vero Dei præscientia potius consolatur justos, quam perturbat, quia quales futuri sunt, tales prænovit futuros Deus; non ideo tales futuri præcogniti a Deo, sed ideo tales præcogniti, quia tales futuri. Unde sequitur electionem aut reprobationem nostram nequaquam pendere a Dei prævisione, sed potius a nobis et vita nostra, quæ est nota, et character prædestinationis vel reprobationis. Est enim in potestate nostra bene vel male agere, ergo etiam salvari et damnari. Quare stulta est illa quorundam phantasia, qua sic argumentantur: Si prædestinatus sum ad gloriam, certus sum de ea, nec possum ab ea excidere quibuscumque tandem peccatis: si præcitus ad perditionem, nihil me juvabit, indeque liberabit quidquid boni egero, frustra ergo laborabo, etc. Sic enim argumentari potius debes: Si bene vixero, ero ex prædestinatis; si male, ex præcitis, quia a bona vita tamquam causa pendet electio ad gloriam, uti a mala reprobatio, et damnatio. Hoc sensu dixit S. Aug. *Si non es prædestinatus, da operam ut prædestineris.* Quia bona vel mala vita est in potestate nostra, ergo et electio et reprobatio. Prædicta illa phantasia implicatus erat Ludovicus Landgravius e Thuringia, ut refert Cæsarius, I. I. c. XXVII. qui in gravem morbum lapsus, medicum vocavit, ut ejus ope sanitatem recuperaret. Sed respondit medicus: (conscijs erroris et phantasiæ illius) « Domine, si moriturus es, nihil proderit opera mea; si non moriturus, frustra erit medicina mea. » Attonitus hoc responso comes: « Si medicinam, inquit, non adhibuero, negligam me ipsum, et moriar

ante tempus. » Lætus hoc responso medicus : « Domine, si creditis, ait, posse vobis vitam prorogari per medicinam meam, cur non creditis salutem vestram procurari posse per penitentiam et opera justitiæ? Sine his enim anima moritur. » Cui Landgravius : « De cætero esto medicus animæ meæ : quia per linguam tuam medicinalem, Deus me liberavit a maximo errore. » Quare de mediis ad salutem perducentibus solliciti esse debemus, non de prædestinatione. Unde apostolus cum dixisset : *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, mox subjicit, quod ex nostra parte requiritur : *Et discibat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*. Et hæc orthodoxa veritas adeo conformis est naturæ liberi arbitrii et lumini naturæ, ut eandem viderint etiam philosophi et poetæ, quorum illa est gnome : Cum Minervæ quoque manum move, orta vel ab agasone, qui extrahendo e luto asino suo, Herculem imploravit, ipse otiosus stans ; cui respondit oraculum : *Admove manum asino laboranti, ita demum numen tibi aderit*. Vel a palæstrita, qui in palæstra luctaturus, Minervam consuluit, num futurus esset victor, auditque victorem fore. Verum cum is ingressus in theatrum, manus ad luctam non moveret, percussus ab adversario et victus est.

VI. Discimus unum esse Christi ovile, seu Ecclesiam. Qui in hac Noe arca non est, peribit. Qui in hac domo Rahab non est, in gladium incurret. Qui in hac vita non est, in igne erit. Ergo decipiuntur hæretici, qui volunt unumquemque in sua secta salvari posse. Certe religio nostra ab illorum secta diversissima est uti apertissimum. Viderit ergo quisque quo in ovili sit. Nos catholici causam non habemus dubitandi aut metuendi, ne extra ovile Christi simus, quia videmus antiquam nostram domunculam, antiquum præsepe, antiquam januam, antiquos pastores, antiquum pabulum, antiquos pastorum nostrorum canes : hoc est, antiqua nostra templa juxta veterum morem adornata, antiquum sacrarium ubi asservatur corpus Christi, antiquum baptizandi ritum, antiquos doctores, antiquum Dei verbum antiquo patrum sensu expositum, et antiqua sacramenta, antiquos canones et censuras. Dicant enim hæretici, quando hæc talia non habuerimus, quando novitatem induxerimus, quo anno, quo loco, sub quo imperatore, pontifice, etc. At ipsi quam plurimas suspicandi rationes habent, se in eo ovili non esse, cui Christus et apostoli præfuerunt ; siquidem templa illorum stabulis fere similia facta sunt, et antiquo ornatu spoliata, monasteria desolata, et in horrea mutata, sacraria diruta aut vacuata, nec alio fine in templo manentia, quam quo globus super haram positus : alius baptizandi ritus, alii pastores, prius non

visi, profani, uxorati, aliud Dei verbum, alia sacramenta, aliæ leges, etc. In ejusmodi ovile qui ingreditur, merito circumspicere deberet et mirari ejus novitatem, idque suspectum habere.

VII. Discimus unum esse Ecclesiæ pastorem, cui subordinati sint reliqui inferiores, adeoque Ecclesiæ regimen esse monarchicum. Hunc autem in ovili tantum catholicorum reperimus. Hæretici sunt acephali. Obijciunt pastorem suum Christum esse, et de hoc intelligenda Christi verba. Non nescio ; sed cum ovile Christi sit in terra ipse autem in cælo, quomodo Ecclesiæ suæ satis providit, nisi etiam dederit illi pastorem visibilem in terra ? Quomodo enim in dubiis rebus recurrere ad Christum possumus ejusque definitionem obtinere ? Est sane Christus Ecclesiæ caput quoad internum gratiæ influxum ; verum quoad externam gubernationem constituit ei vicarium suum, qui visibilis Ecclesiæ, qualem ipse instituit, et cui ipse visibiliter præfuit, dum in terris esset, visibile caput esset, ne regimen Ecclesiæ visibile et monarchicum mutaretur. Hinc Ecclesia comparatur exercitui ordinato, Cant. VI. regno, Dan. II. domui, 1. Timoth. III. corpori humano, 1. Cor. XII. ovili denique in hodierno evangelio. Debet etiam exercitus habere ducem suum visibilem, regnum suum regem, domus patremfamilias, corpus caput, ovile pastorem, alioquin erit divisio, schisma et dissensio, v. g. si duo vel tres duces ejusdem forent exercitus, et unus suaderet pugnandum, alter quiescendum, tertius fugiendum. In hoc ergo ovili persistamus, auditores, donec inde a pastore nostro ad cælestis vitæ pascua educamur.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Christus quomodo pastor. — II. Quomodo Christus pastor ille bonus. — III. Quomodo bonus pastor dat animam pro ovibus. — IV. Quinam mercenarius. — V. Licetne pastori fugere persecutionis tempore. — VI. Qui lupus. — VII. Quinam oves. — VIII. Quæ oves aliæ extra ovile. — IX. Cur Ecclesiæ regimen monarchicum.

THEMA.

Vocem meam audient. Joann. X.

Sat superque, auditores, demonstravit hactenus Dominus se pastorem bonum, qualem ipse describit Joan. X. et ex parte in hodierno evangelio. Nam primo, pavit oves suas, discipulos, delicatissimo illo pabulo corporis et sanguinis sui in ultima cæna. Deinde defendit, et servavit oves suas, quando in monte Oliveti ab insidiatorum manibus tutatus, ac nulli quicquam manum inferri passus est. Ad hæc in passione sua posuit pro

ovibus animam suam ; prostravit que lupum (dæmonem) baculo crucis suæ. Denique ab inferis regressus, revisit gregem suum, et in unam congregavit domum, reduxit etiam ad ovile suum errantem illam oviculam, Thomam, uti vidimus ante octiduum. Jure igitur ac vere dicere in hodierno evangelio potuit : *Ego sum pastor bonus*. Superest nunc, ut demonstremus esse nos boni pastoris oves bonas. Quod vero potissimum requirit pastor iste ab ovibus suis, est, ut audiant vocem ejus ; quam profecto ex ore ipsiusmet Christi audire nunc non licet : ex ore concionatorum licet, qui in prophetia Jeremiæ c. XV. *Os Domini* nuncupantur, dicente ad prophetam Domino : *Quasi os meum eris*. Itaque, auditores, oves vos præstate et audite vocem pastoris vestri.

I. Christus quomodo pastor ? Resp. quia instar pastoris Ecclesiam suam regit et custodit. Primo enim, oves suas pascit sc. eucharistia aliisque sacramentis et verbo Dei. Deinde, defendit, et tuetur contra tyrannos et hæreticos, estque eis velut *murus igneus in circuitu*, uti promissit Zach. II. Rursum Michææ V. *Stabit, et pascet in fortitudine*, q. d. sicut pastor innixus baculo suo stat intentus in suas oves, num quæ aberret, vel an lupus aliquis adventet : sic Christus invigilabit Ecclesiæ suæ. Unde S. Stephanus dimitans cum lupis, vidit Christum stantem in cælo, ad opem sibi ferendam.

Denique, quia pro eis plurimos et gravissimos sustinuit labores, dum in terris degeret, imo mortem ipsam petiit, ut e tartarei lupi faucibus, eas eriperet. Sanctus Hieronymus, Zach. XI. pastoris insignia describit, Christo convenientia. Sunt autem pera, baculus, fistula, sibilus, melotes, seu ovis exuvium, et canes. Melotes in Christo quid, nisi humana ejus natura, quam de ovibus suis, ut per omnia eis similis fieret, assumpsit ? Peram, imo multas peras gerit, vaseula scilicet sacramentorum, in quibus gerit animarum pharmaca et pabula. Baculum præfert, crucem de qua Psalm. XXII. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Nulla enim re magis recreantur Christi oves, quam crucis et passionis Dominicæ assidua meditatione. Eo dæmonem prostravit et ab ovili suo arce hodieque, dum vel nudo crucis signo insidias ejus depellit, et annihilat. Fistula, qua mulcet oves, verba sunt divina, conciones et Scripturæ sacræ, alique libri pii, quibus plena est Ecclesia. Sibilus sunt inspirationes cordis, quibus homines vocat ad se, et revocat a vitiis. Denique, molossi ejus sunt Ecclesiæ doctores et concionatores, prælati, confessarii, qui latratibus suis Ecclesiam defendunt, et ab ovili lupos arcent.

Eadem fere sunt insignia pastoris seu prælati

cujuseumque, uti ostendit Adam de Persevia. « Ad hoc enim ut sit pastor humilis, utilis, et fidelis, inquit, debet habere panem in pera, canem in fune, baculum cum virga, cornu cum fistula. Panis est verbum Dei, pera est memoriæ verbi, canis est zelus pastoris. Quia zelare habet pro domo domini sui, et deterrere lupos piis latratibus sanctæ prædicationis et indefessæ orationis. Funis quo canis tenetur, moderamen zelandis, et discretio, qua zelus pastoris spiritu pietatis et scientiæ temperatur, ne forte, sicut ait apostolus, zelum Dei habeat, sed non secundum scientiam. Baculus est piæ exhortationis consolatio, quæ sustentet, et consoletur pusillanimes, ne in tempore tribulationis deficiant. Virga est potestatis auctoritas, quæ corripit inquietos, ne de impunitate audaciam sumant. Cornu cujus sonitu terribili ad belli conflictum milites animantur, est terribilis gehennæ comminatio, qua Christi milites contra vitiorum molliem, spiritu fortitudinis accinguntur. Fistula quæ dulcis canit, æternæ dulcedinis suavitatem designat, quam subditorum auribus fidelis pastor duleiter ac frequenter inculcat. »

II. Quomodo Christus pastor bonus : et per emphasin (uti articulus Græcus indicat) ille bonus ? Resp. talem se appellat Christus, ut indicet se pastorem illum esse a prophetis prædictum, qui solus erat oves de ore lupi tartarei eruturus. De eo enim prophetavit Ezechiel, cap. XXXIV. *Suscitabo super eas pastorem unum*, Isaiæ, cap. XL. *Sicut pastor gregem suum pascet* ; Zacharias, cap. XIII. *Framea suscitare super pastorem et super virum coherentem mihi* ; qui nimirum Persona una ex divinis sit. Ideoque a S. Petro, ep. 1. cap. V. vocatur *princeps pastorum*. Est ergo pastor bonus per excellentiam. Primo, quia Deus, qui est essentialiter bonus ; quomodo nemo alius censeretur bonus potest, ut indicavit Dominus adolescenti cuidam dicens : *Nemo bonus nisi solus Deus*, Marci X. Secundo, quia etiam secundum humanitatem adeo bonus fuit, ut nihil unquam mali admiserit, nec admittere poterit. Tertio, quia officium pastorale per excellentiam administravit, quo modo nemo unquam. Imprimis enim summo cum amore intravit per lutum, per spinas et clavos crucis, ut ovem perditam recuperaret : hæsit etiam baculo crucis, et demisso capite, quasi portans ovem humeris posuit animam pro ovibus suis, postquam exquisitissimis tormentis, pro illarum custodia depugnasset et salute, quam solus eis parare poterat : nec qualemcumque vitam posuit, sed vitam Hominis Dei toto mundo pretiosiore. Posuit etiam sponte, mera liberalitate et amore : posuit quoque gratis, querens ovium emolumentum : posuit absolute, non